KREUZER 30

K.K. CONT. STAMPEL
den 30 März 1843
WIEN.

NOS RECTOR

ET ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITAS VINDOBONENSIS

LECTURIS SALUTEM

Laudabile imprimis majorum nostrorum institutum est ut qui honestis studiis atque artibus diu sese dediderunt antequam ad vitæ communis usum atque ad praxim ſese conferant, ante omnia ſubeant examen, ut debitum eruditionis suæ testimonium legitimo acquirant modo. Cum itaque ornatiſsimus doctiſsimusque Dominus Leo Zutawski, e Lukowice in Galicia oriundus, diligentem aſsiduamque medicinæ multos annos operam navaſset, atque jam ad exhibendum doctrinæ ſuæ ſpecimen paratus eſset, petiiſsetque a Nobis, ut ipsum titulo academico doctrinæ suæ convenienti ornaremus; Nos cum honestiſsimæ æquiſsimæque ipsius petitioni hac in parte deeſse non poſsemus, ipsum primo per universam medicinam accurate examinavimus, ac deinde theses ex universa scientia medica desumtas et diſsertationi inaugurali pharmacologicæ "nonnullos plantarum Alcaloides" pertractanti adnexas, publice adversus omnium opponere volentium argumenta objectionesque tuentem audivimus; in quibus omnibus, cum præclaram eruditionem suam ac medicinæ peritiam abunde Nobis probaſset, libenter contulimus petenti honorem qui virtuti et honestis studiis debetur. Quapropter potestate Nobis ab Auguſtiſsimo Imperatore Ferdinando Imo conceſsa, eundem Dominum Leonem Zutawski die decima sexta Maji, Anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio Doctorem medicinæ pronunciavimus ac declaravimus, dedimus ac damus ei potestatem, cathedram doctoralem conscendendi, ac de medicina respondendi, praxim cæteraque exercendi, quæ medicinæ doctores exercere solent; tribuimus ei insuper privilegia omnia ac prærogativas, quæcunque vero medicinæ doctori legibus vel consuetudine tribui solent. In quorum omnium fidem diploma hoc publicum majori Universitatis sigillo signatum, nec non manu Notarii inclytæ facultatis medicæ subscriptum, ei dari curavimus. Viennæ Austriæ, anno mense et die supra dictis.

Franciscus Xav. Zenner SS. Theolog.
Doctor. E.M.V. Can. cap. c. r. Reg. consil.
Stud. Theolog. Director, Fac. theolog. Præses
Pro-Rector.

Ioan. N. Eques de Raimann
Med. Doctor, Ord. Imp. Austr. Leopold., c. r. Ruſs.
St. Stanisl. et r. Bor. Aquil. rubr. 3tiæ cl. Eques,
S. C. R. Ap. Majest. Consil. aul. et Archiatr. prim.,
stud. med. chir. Director et Facult. med. Præses.

Carolus Josephus Meyer mpria
Medicinæ et Chirurgiæ Doctor,
C. R. aulæ Medicus et Facultat. medic.
p. t. Decanus.

Sigismundus Casparus Fischer
Medicinæ et Chirurgiæ Doctor
Caes. Reg. Consiliarius,
Mineralogiæ et Zoologiæ Profeſsor,
pro Promotor.

Joan. Franc. nobil: de Hieber mp
Phliæ, et Medicinæ Doctor.
C. R. aulæ medicus,
inclyt: facult: med: Notarius.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

82/09